



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Mons Thabor Sive Solitudo Exercitiorum Spiritualium**

**Bisling, Anselm**

**[Einsiedeln], 1682**

Reverendissimis Patribus Amplissimis Præsvlibvs Ac Dominis, Dominis,  
Alphonso Celeberrimi Et Jmperialis Monasterij VVeingartensis; Martino  
Celeberrimi Et Jmperialis Monasterij Zvvifaltensis, Ordinis ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60545)

REVERENDISSIMIS PA-  
TRIBUS

AMPLISSIMIS PRAESVLI-  
BVS AC DOMINIS, DO-  
MINIS,

ALPHONSO

CELEBERRIMI ET IMPE-  
RIALIS MONASTE-  
RIJ

VVEINGARTENSIS;

MARTINO

CELEBERRIMI ET IMPE-  
RIALIS MONASTE-  
RIJ

ZVVIFALTENSIS,

ORDINIS S. P. BENDICTI AB-  
BATIBVS DIGNIS-  
SIMIS,

INCLYTAE PER SVEVIAM  
CONGREGATIONIS BENE-  
DICTINÆ

PRÆSIDIBUS, ET VISITA-  
toribus Meritissimis,

PATRIBUS, AC DOMINIS SUIIS  
GRATIOSISSIMIS.

DEDICATIO.

REVERENDISSIMI, ET AM-  
PLISSIMI DOMINI,  
DOMINI  
ABBATES,  
VISITATORES VIGILAN-  
TISSIMI.



Montem Thaboræum Transfigu-  
ratione Christi recalescentem  
quò feram ex Helvetiæ Monti-  
bus non superstitione Atlanti-  
câ, sed fide verâ, nisi ad Vos  
Reverendissimi Domini Abbates, & Visi-  
tatores Meritissimi ? Montem Thaboræ-  
um, præsentem, inquam, librum solitudi-  
nis Mysterosæ, assumentis ex vallibus, vel  
imperfectiõibus vitæ ad puriorem contem-  
plationem Christi, atque ad suaviorem hu-  
jus dilectionem in sanctitudine, & compla-  
centia æterni Patris, Abbatum primi, ac  
summi fundatum, manibus vestris, velut  
congruo loco affero. Hic veterum Bene-  
dictinorum mos ab ipso Sanctissimo Bene-  
dicto coeptus, ac traditus, ut nusquam ædi-  
ficare Monasteria, & certè facere taberna-  
cula Christi ad ea, quæ Dei sunt, exercen-  
da, quàm in montibus maluerint. Cujus  
rei

## D E D I C A T I O .

rei inde à Monte Cassino fundamenta posita. Verùm & ipsa vita Monastica ad Montis similitudinem est, quæ dum Religiosos suos ad studium perfectionis, Abbates verò ad altiora, tanquam ad culmen adstringit, quidni Benedictino-Monastica vita est Mons sanctus, in quo beneplacitum est Deo habitare, in quo per Christum, qui est spendor Sanctorum, transfigurantur Discipuli virtutibus ejus amicti, abstracti à mundi tenebris, & exaltati ad interiora Dei? Itaque ad induendam Christi formam, ac lucem niti, & semper ab eo assumi ad Divina, hoc verè Benedictinum. Hæc res apprimè Abbatum ductui incumbit, hæc eorum studia, ac labores confert, hæc Congregationes, hæc Confraternitates, hæc unionem Monasteriorum, & Communionem bonorum operum, piorumque fructuum instituit, & junctis viribus amicitiam firmat. Hæc eadem res est, quâ inclyta Suevica Congregatio non modò inita inter se erat, sed constanti desiderio Confraternitatem cum Helvetica Congregatione, vitæque, & animorum studia cum illa confœderare appetebat.

Unde ubi anno millesimo, sexcentesimo, octogesimo die 14. Maij Helveto-Benedictini  
Prin.

## DEDICATIO.

Principes, atque Abbates in Sancto Gallo se congregârunt, eodem Vos Visitatores, & Abbates, Alphonse Weingartensis, & Martine Zvvifaltensis, Congregationis Vestrae nomine, ad vinculum convenistis. Jbi certis conditionibus, articulisque facta Confraternitas, & opera bona communia esse jussa. Quod vinculum ut æternum sit, Deus dabit. Quando igitur hic Libellus Thaboræus edendus in lucem fuit, constitutis validâ virtute, atque autoritate patronis, non aliò magis, quàm ad Paternitates Vestras Reverendissimas quasi animi motus sensit, certus, fore, ut in Tabernacula, in Monasteria scilicet vestra cum fructu plurimorum & Religiosorum, & Sacerdotum recipiatur. Confido certè, hoc ipsum Opusculum agnosci in symbolum, ac singulare testimoniùm Germano - fraterni amoris inter unitas Congregationes per Christum Thaboræum unionis Ducem, & Assumptionis mutuae illibatâ fide semper conservandæ. Ita voveo, ita humili dexterâ offero.

P. Gallus Göldlin à Tieffenavv,  
Professus Einsidlensis, Ty-  
pographiæ Director.

F A.